

$\pi$  n  
4707





K. 378, 14.



Q. D. B. V.

# UNGARICA


Publicè explicabunt

CONRADUS SAMUEL  
SCHURZFLEISCH,

&

ANDREAS ECCARD,  
UNGARUS.

*In Auditorio Majori, die 26. Octobr.*



WITTENBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

ANNO clō 15c LXXII.



UNIGARICA

Publice explicatum

CONRADUS SAMUEL

SCHURZELISCH,

&

ANDREAS EGARD,

UNIGARUS.

In theatris Majori, die 16. Octob.

1717

WITENBERGAE

Typo Matthei Henckelii

Anno 1717





10

**R**egnum, quod Ungaricum ap-  
pellatur, primi Pannonnes\* te-  
nuerunt, viribus suis eo usque  
innixi olim, ut nemo ante Au-  
gustum subigere, nemo alius  
recipere in veteris imperii fidem posset.

\* *Gravem sententia testem adducimus Appianum Alexandri-  
num eo libro, quem composuit de bellis Illyricis, quò comprobat,  
Pannonnes Illyricorum gente ortos fuisse. Græcis, ut idem auctor est,  
Pæones dicebantur, quæ notione expresserunt seculo I. Strabo l. 7. ed.  
Basil. Ovidius & Martialis: sec. III. philostratus, l. 8. de vit. Apollon.  
sec. V. Zosimus. Nec enim Græcis ignoti esse poterant, qui ad Græ-  
corum usque fines porrigebantur, Strab. l. all. p. 365. Nec desunt Ap-  
piano argumenta, quòd Pannonnes sub Macedonum regibus stipendia  
fecissent. Neque tamen id eò spectat, ut Pæones Macedonia populos  
intelligamus, quippe qui multum differunt à Pæonibus nostris, Johan-  
nes, Nadanyus Fl. Hung. p. 17. qui ex hac causa redarguit Dionem Cas-  
sium. Horumque antiquitas tanta fama fuit, ut universam Itali-  
am perculerint ingenti metu, Appianus p. 1202. Quo allegat commen-  
tarios Augusti Caesaris, ut qui sic memoria tradidisset de his gentibus  
Appiani sententiam in medio relinquit Antonius Bonfinius, rerum  
Hungaricarum, ut Thuanus l. X. Hist. appellat, scriptor luculentus, dec.  
l. l. p. 20. Impensè errat Johannes Sambucus qui à Bannone velut pri-  
mo rege hoc regnum auspiciatur, idque sub annum à Noachica aquarum  
eluvione C L V. Tum verò eum deducit à stirpe Semi contra omnes*

A 2

byo



historia sacra rationes. Id saltem docet nobiscum rectè, & probat Pannonas usq; ad Augustum fuisse suæ sponcis, & vixisse, liberòs, nec aliis, quàm suis legibus usos, app. p. 829. De Pannoniæ divisione in superiorem & inferiorem vid. Claudius Ptolomeus l. 2. cap. 15. Jac. Aug. Thuanus l. 10. Hist. ad A. 1551. Nadanyus l. 1. cap. 5. Jamq; diu ante Tacitus Pannonias notatione plurimum indicavit, de Germ. Mor. l. 1. Vellei. H. II 110 Rufus Festus in brev. ad Valentin Imp. Pannoniarum duas vocavit. Cassar Ens à Danubio incis. & trans-danubianam, partitur: hanc primam, illam secundam cognominat, eaq; frequens etiam num, & subinde in regni tabulis usurpata divisio est. Conf. articuli pacis A. 1606. corpori articul. univers. regni Hung. inserti, & A. 1668. evulgati.

2. Simulatq; verò lapsa Romanorum res est, barbari versis ad dominatum animis, provincias \* Romanorum invaserunt, majori præ cæteris audacia Vandali, qui ut nihil non experirentur, à Constantino oraverunt sedes, \*\* quas quum impetrassent, jam velut cedendo securi, brevi post in majus periculum venerunt, commotis ad expeditionem, Gothis, quos fugerant hæctenus, ut majori impetu fugarentur.

\* Pannonia ab Augusto ad obsequium, à Tiberio in provinciam redacta, alterum ex Appiano, alterum ex Svetonio, cui declarando afferimus Rufum Festum, evincimus. Ille, Batonem, inquit, Pannonium Ducem ingentibus donatum præmiis, Ravennam transtulit: &c. Ubi nemo non videt, cur utatur transferendî vocabulo, quippe quod eò valet, quò constat, regno destitutum fuisse Batonem, & supremum adeò in regnum illud jus ac potestatem Tiberio

berio eos fuisse. Quod de præmiis donato refert, id pertinet ad simulacra imperantium; qui usurpant hæc calliditatis instrumenta, ut victi servitutem æquius ferant. Nullus dubitationi locus est, si, quod nunc res monet, Rufum Festum inspiciamus. Hic verò ait. Batonem (alii Battone, aut Bathone) Pannoniorum rege, subactò, in ditionem nostram Pannoniam (superior & inferior) venerunt. Haud scio, an quid dicere evidentius potuerit Rufus Festus. Nec tamen ignoro, Dionem Batonem esse Dalmatiae regulum: at fecerim hic libentius cum Svetonio, tum quia propioris ævi, tum quia sanctiorum epistolarum magistro apud Adrianum, qui nec negligenter, & de industria exequitur hanc historię partem. Dionem, ut solet, sequitur Xiphilinus edit. Henric. Steph. qui quod nos de Pannonia, idem de Dalmatia extulit. Δαλματία περιεχόμενος τοῖς Πανναίοις. Posset quis suspicari hic, aut juncta Pannonia Dalmatięque regna, aut reges diversos unius nominis fuisse, cum de Batonis illo certum sit, populare inter Pannonos fuisse, ut signant monumenta veterum inscriptionum.

\*\* Jornandes de reb. Get. p. 102. breviter strictimq; explicat hoc, unde repetunt rerum Hungaricarum scriptores, Antonius Bonfinius decad. 1. l. 2. p. 39. Jobannis Sambucus p. 829. quorum quidem ille liberius, iste hoc loco certius definit annos, quibus Vandali in Pannonia commorati sunt, quod intelliget, qui utrosq; judicabit ex Jornande allegato. Conjecto autem, Bonfinium autoritate Sigeberti Gemblacensis deceptum, qui existimat, LX. annis habitasse Pannoniam Vandalos, Chronograph. p. 479. edit. Pistor.

3. Gothi, quos sive sua immanitas, sive regnandi spes induxerat, non manendum rati, ubi migrandi ratio esset exactis ab eo tempore, quo Vandali Pannonias ingressi erant, quadraginta annis, iter una & signa parant, ducturi in Vandalos, qui, ut evenire his rebus solet, metu cor-

A 3

repti,

repti, recedere, quàm occurrere periculo ma-  
luerunt. \*

\* *Compendiarium Vandalorum historiam fecit Isidorus Hispa-  
lensis, cum quo conf. Johannes Gerundinensis Gothus, Idacius Lemis-  
censis, à Joseph Scaligero editi. Discessisse ex Pannonia ob Gotho-  
rum metum, confirmat Jornandes de reb. Get. p. iii. Sambucus con-  
fidenter memorat, Vandalos à Gothis exturbatos esse. conf. Math. à  
Michou de Sarmat. Asian. l. 1. cap 10. Marcus Aurelius Cassiodorus  
in Arcad. & Honor. prodidit, Vandalos Alanis junctos, Galliam in-  
travisse. Bonfinius iterum sequitur Sigebertum, nec repugno, quòd  
Paulus Diaconus quoque scripserit, à Stilicone Vandala stirpis ho-  
mine, eodemq; Honorii prefecto suscitatos, in Galliam irent, vasta-  
rentq; omnia & dividerent ferro. Quæ dum inter Vandalos, Go-  
thosq; agebantur, Pannonæ illius regionis Aborigines, tot infestis  
migrationibus turbati sepe excisq; nomen saltem successoribus reli-  
querunt. De Vandalis aliqvi & Gothis omnes scire arbitror, modo  
amicos, modò hostes, ut amicitia mortales sunt, fuisse. De fæde-  
ribus utrorumq; vid. Procopius, Eutropius, Zosimus, Ado Vinnensis,  
aliq;. Ad Gothorum historiam addimus, ante Myricum vastasse,  
quàm infesta signa in Pannoniam intulissent. Eusebius Chron lib.  
post p. 176. Prior enim illa irruptio incidit in A.C. 271. posterior in A.C.  
382. Reliqua hujus argumenti prosequimur justo commentario in  
rebus Speo Gothicis.*

4. Nihilo secius Hunnis\* in turbido con-  
siliium erat, quorum ferocia crevit exemplo,  
evasitq; eo ut vel ad solam nominis Hunnici  
mentionem inhorrescerent Romani, tantò  
magis, quòd impetum adjuvaret fortuna, Go-  
thosq; ve vigore pariter & fortitudine mirabiles  
Pannoniâ exturbarent.

Hunni



\* Hunni Eusebio Chunnii, Cbr. lib. prior; aliis, præcipuè Ungavis Unni, ut apud Bonfinium est, scripti extant. Origo per fabulas explicata est à Jornande de reb. Get. p. 103. 104. quem sequitur Sigebertus Gemblacensis Chronograph. p. 481. Jo. Olaus Hist. l. 6. cap. 24. Narratione careat, quisquis credit, Hunnos ex Getarum Alirunis à Faurinis, sive hominibus sylvestribus compressis natos esse. Aliruna quales fuerint, reperire est apud Saxonem Sialandicum Olaum V Vormium & Jornandem dicto loco. Cujus gentis Hunni fuerint, faciunt docti, ut disceptetur. Albertus Crantzius Vandal. l. 6. cap. 5. Hunnorum perinde, ac Vandalorum vestigia extare in Germania affirmat. Neq; id insitari ausim, si certum sit, Hunnos à Gothis procreatos esse, quod placet Johanni Magno l. 6. hist. Goth. Sveon. c. 24. Alii pro Sarmatis habent, cujusmodi opinio tribuitur Ptolomæo, ut enarrat Elias Reusnerus p. 207. de Misen. Et forte an non dissentit Melchior Goldastus, qui Huno-Slavicum componit una voce, l. 1. c. 5. p. 47. de reg. Boh. Qui nobis Hunni, multis Avars dicuntur, V. Aimoinus l. 3. cap. 11. Paulus V Varnefridi de gest. Langobard. l. 2. p. 224. Eginhardus de vit. Karol. M. cap. 3. Distinguuntur Hunni in Asianos, & Europæos, de quibus est apud Procop. l. 5. Matthias à Michou refert, alios in Scythia consedisse, alios in eam regionem, quæ nunc Hungaria audit, profectos esse, de Sarmat. Asian. l. 1. cap. 14. De Hunnorum prima expeditione notum est, neq; id nunc probari attinet, incidisse in IV. à N. C. sec. annus memoratur 370. Johannes Nadanyus l. 1. cap. 8. Eorum posteros esse Hungaros, plures & egregio ingenio viri tradunt, Antonius Bonfinius rer. Ung. decad. l. 2. à principio, Abrahamus Bakschay de ingressu Hunnorum in Pann. sub initium, & ex mente aliorum Michael Ritius de regibus Ungar. Jo. Matth. à Sudetis de origine Bohem. Nec ablu- dit multum Elias Reusnerus: dissentit ab his Johannes Aventinus l. 4. Annal. Boj. Jacobus Spigelius, novissimè Georgius Hornius, & H. Conringius, quibus ut astipulemur, multa sunt causa, quæ nos hortantur. Sed in præsens satis est, breve Vandalorum, Gothorum Hunorumq; in Pannonia imperium ostendisse: cujus rei significationem dare voluit Paulus Jovius Hist. l. 1. edit. Bas. p. mibi. 2. Summatimq; id cont. plexus est Sebastianus Munsterus in app. Geographic. Ptolomæo ad- dit. pag. 179.

5. Sed

5. Sed haud multò post ad ingenium redi-  
bant Gothi, & redintegratis paulò viribus, oc-  
casione utebantur præclarè existimantes, ex usu  
suo fore civile Hunnorum \* bellum, quod nisi  
hos effecisset miseros, fortè procul metu fuif-  
sent, suffecturi omnibus, qui lacefferent, præci-  
puè iis, qui reptum Pannoniæ regnum vellent.  
At verò, quod intestinæ discordiæ malum est,  
res ipsorum jam in eum devenerant locum, ut,  
quando corrigi non possent, imprudentiam seu  
turpi exilio, sive servitute luerent, pro futuro  
posteris exemplo servandæ concordiæ atq; do-  
mesticæ tranquillitatis.

*\* In compendio describunt Abrah. Bakschay de ingress. Hunnor: in  
Pannon. Jo. Sambucus App. 829. Michael Ritius de reg. Ungar. ex ve-  
teribus Jornandes de reb. Get. p. 132. 133. 135. Paulus Diaconus autor  
est, Ostrogotthos statim ab Attila excessu turbasse, nec filiorum aequè, ac  
patris, imperium ferre voluisse, p. mib. 372. Obvium in hoc Attila est  
exemplum affectati in omnes reges principesq; dominatus, quàm inju-  
sti, tam fœdi exitu, & minimè diuturni. Disertè Jornandes. At-  
tila Hunnorum omnium dominus, & pœnè totius Scythiæ gen-  
tium solus in mundo regnator. Quo nil aliud consecutus est,  
quàm ut tot regna malè parta omnibus gentibus quasi offerret in præ-  
dam, nec esset quisquam, qui moderatè sentiret de transgresso omnis  
moderationis leges. Auspicabantur egregium facinus Gothi, & primi  
excutebant jugum, ac libertatem restaurabant. Quod vellem, in  
omnium Principum animos descenderet, quò jus, bonum æquumq; Dei  
& gentium causa, curent rectè atq; id unum studeant gnaviter, ne*

UNUS

UNUS OMNIBUS imperitet. Providebunt sanè Gotbi, Cimbri Teutonesq; ne quis banc nobis extorqueat felicitatem, ut sine periculo imperia, nos pace vigeamus.

\*\* Nil Attila filiis restabat, quàm ut malè consulerent sibi, dividerentq; imperium, quò perderent, perderent verò, ut simul ipsi perirent. Nempe ita Deus mulctat crudelis atq; efferrati regis filios, ut non intelligant, quibus rebus aut evertant sua, aut conservent. Dissidebant singuli, ut universi opprimerentur. Regnare omnes volebant, ut omnes in exitium ruerent. Triste spectaculum, & dispar superiori fortuna, quæ affulserat Attilæ patri, ac revocandum adeò in mentem illis, qui neq; desinunt, neq; conquiescunt, donec exemplo fuerint perinde tristi, & cujus misereat omnes bonos. Quod ad genus Attilæ spectat, fabulas pleriq; immiscent, quale est illud, quod Michael Ritius l. 1. de reg. Ung. scribit, Attilam accepisse in matrimonium Ducis Saxonie filiam. Perinde ac si jam dum Sec. V. duces Saxonici cum hereditario imperio fuissent, cujus vanitatis metadet prorsus, & satis habeo perstrinxisse in dissertatione de VVidekindo M. Nescio etiam, quo iudicio Philippus Callimachus, qui post Paulum Jovium vitam resque gestas Attilæ literis mandavit, dubitare possit de morte Bledæ, peremptus ne à fratre Attila sit, nec ne: cum hoc Jornandes & Paulus Diaconus affirmant, quibus propter recentiorum aliquot suspiciones derogare fidem, præter rem est. Neq; id à ferocissimi Attilæ ingenio valde alienum censeo, præsertim quòd sint, qui conjiciant Attilæ de conjuratione suspectum fuisse fratrem, Gasp. Ens l. 1. p. 22. Hist. rer. Ung. De Uxoribus tradunt, habuisse plures: nec obnitor: & multi ejus filii memorantur, imprimis Ellac patri carus, sed præter omnem spem in prælio cum Gepidis commisso occisus, Jornand. p. 133. R. G. Mirum dictu, quàm perperam novitii nomina exprimant Attilanæ progeniei, quæ si ponam ex ordine, ut se contingunt sanguine invicem, non fecerim præter instituti rationem.

Mundzuccus \* Oetar. Roas.

Attila. Bleda ( aliis Bleta, Theophani Bdela )

Ellac. a. Chaba. b. Aladrius. c. Hernach. c.

B

Op-

\* Jorn. R. G. p. 115. & 132. Conf. Blondus Foroliviensis l. 2. de imp. inclin. a. c. Jornand. R. G. p. 133. 134. b. c. Michael Ritius de reg. Ung. p. 864. sed qui aliquando cum Bonfinio stivam olere videtur Joh. Nadyo, præf. Flor. Hung ad lector. Ego nunc desidero auctores, unde allegat nomina Attilanæ stirpis. Consanguineos filiorum Attilæ recenset Jornand. p. 134. R. G.

Opporruere hic arbitror prosequi me posse, quod vulgo tradi-  
tum est de insalutissimo titulo, quem usurpassè Attilam ferunt.  
ATTILA MUNDZUCCI (al. MUNDIZICI, al. BENDEU-  
CUM) FILIUS, NIMRODI NEPOS NUTRITUS IN EN-  
GADDI, DEI GRATIA REX HUNNORUM ET MEDO-  
RUM, GOTHORUM, DACORUM, METUS ORBIS, ET  
(POST COLLOQUIUM EREMITÆ) FLAGELLUM DEI.

Approbant Sebast. Münsterus in app. Geog. & Petrus Revva,  
Centur. rer. Hung. 7. pag. 145. sequitur Conrad. Theod. Linck. Th.  
Hist. polit. in Attil. Nadanyus dubitat Fl. Hung. p. 32. Ego nego ob-  
multas, quæ in promptu sunt, rationes, & prorsus ineptire credo,  
qui immorantur tuendis his nugis. Repugnat enim indoles V. secu-  
li, quandoquidem titulus, Dei gratia, multò serius cæpit, & ut  
manifesta iudicia sunt, primùm Carolingorum ævo: repugnat in-  
super rerum titulo comprehensarum ratio, quùm nemo sit, qui nes-  
ciat, Mediam ab Attilæ dominatu disjunctissimam fuisse: repugnat  
demùm præter alia conditio Attilæ, qui nec dicere se Nimrodi nepo-  
tem jure, nec scire facile de Nimrodo, nisi ex sacris, quas ipse igno-  
ravit, literis potuit. Dabo enim Belum profanis cognitum, sed non  
æquè Nimrodum. Eò Conf. Georgius Hornius dissertat. hist. pol. 21.  
pag. 196. & post eum Rudolphus Roth, vel maxime ideò, quòd ex  
Museo Bostiano publicum fecit Attilæ numum. Sed hæc atque talia  
in publicis recitationibus diffuse pariter & accuratè expendisse nos  
recordamur.

6. Nec verò diu incoluerunt Pannoniam  
Gothi, effulis mox Andoino rege Longobar-  
dis, qui ferre in armis jus, & pugnare potius,  
quàm petere assueti, ingruiebant summa vi, Go-  
thosque agebant in fugam.

Tralaticium id Germanis olim Gallisq; memoratur: de illis  
cognoscas ex Floro, ep. H. Rel. 3. c. 3. qui non quòd æquum semper,  
sed quòd utile esset, assequi optabant, quippe bello migrationibusq;  
in tantùm esserati, ut, quòd precibus nequibant, protinus armis pe-  
te-

terent. Nec aliud veterum Normannorum ingenium fuit, ut apud  
quos piratica laudi esset, ac honestissima militia nomine censeretur,  
ut tradit Ub. Eramius rer. Frisic. ad A. 833. Conf. And. Sev. Vellej.  
ad Ad. Bremens. l. 2. c. 24. collat. cum l. 1. cap. 21. Processitq; apud  
Holsatos eò licentia hæc, ut, quantum quis prædari posset, tantum  
ornamento gloria à cæteris distingueretur, teste Helmoldo l. 1. c. 47.  
rer. Slav. ex recens. H. Bangerti. Sed quod unius alteriusq; partis,  
& certi populi vitium est, non continuò universe nationi Germanica  
aspergendum, eò quòd fuerint, qui abstinuerunt hoc raptu, ut Ta-  
citus prodidit de Chaucis, Mor. Germ. cap 35. Vellejus alioqui Lan-  
gobardos gentem vocat Germanâ feritate ferociorem H. l. 2. c. 107.  
Non quòd neget esse Germanos (negaret enim contra verum, Conf.  
Paulus Diaconus l. 1. p. 195. ex recens. Lindenbrog.) sed quia com-  
parare instituit cum cæteris Germanis, qui propter consuetudinem  
cum Romanis mitescere multò citiùs cæperunt. Nec seciùs constat  
de Gallis, ut apud Livium est decad. l. 1. 5. c. 36. Ego verò redeo ad  
Longobardos, quorum nomen ineptè deducitur à prolaxis barbis,  
& deducunt tamen Paulus all. lib. pag. 199. Siffridus Presbyter ad  
A. 568. Joach. Camerarius ad Niceph. Chronolog. p. 76. quos magno  
numero sequitur vulgus, & lingua nostra, & omnis Germanica an-  
tiquitatis ignarum. Vid. interim H. Meibom. Not. ad Hist. Barde-  
vici p. 152. Colligog; id ex ipso Paulo, qui fidem facit, Longobardos  
sedes habuisse in patentibus campis, p. 203. Atqui hos non modo  
Seld / quod ille prodit, sed etiam Borde vocari, moris vetusti apud  
nostros fuit. Primus Longobardorum Rex traditur Agelmundus,  
à quo nonus ordine regnavit. Audoinus, auctor idem ductorq; ex-  
peditionis in Pannonias susceptæ, ut reperire est apud Diaconum Fo-  
rojuliensem. Conf. Job. Sambucus, & Job. Troster. descript. Dac.  
pag. 183. Audoinus filium genuit Alboinum, qui à Narsete evoca-  
tus, Longobardos in Italiam adduxit, vid. Er. Putean. Hist. Insubr.  
l. 2. p. 18. ut verè dicas, Pannoniam quondam quasi Martis pilam  
sanguinariūque ludum fuisse.

7. Jam cessaturi à tumultibus videban-  
tur Langobardi, si melior, quàm Narses, ipsis

monitor contigisset, qui quò rependeret acceptæ injuriæ vicem, \* pristinam gloriam scelere mutavit, infensus usque eò & iratus Justinò Augusto, ut pudoris fidei quæve oblitus, pessimè consulere in rem publicam, excitaret quæve Pannonia Alboinum, & ne quid explendæ animi libidini deesset, armaret in Italiæ ruinam. Non displicebat Alboino consilium, nec interponebat moram, secuturus, quò Narses, Romani exitii cupidus vocasset. Igitur mutat veteres sedes, & cum magna suorum manu properat in Italiam, \*\* cum Hunnis de repetenda Pannonia pactus.

\* *Paul Warnefrid. de gest. Longobard. p. 222. Anastasius bibliothecar. in Johanne III. Pontif. p. 60. edit. Mogunt. Hermanus Contractus ad A. 565. Marianus Scotus A. 566. Sigebertus Gemblacensis Chronograph. A. eod. edit. Pistor. Abbas Stadens. recens. Reinecc. Sed quod miror, tacent hoc seculi VI. Scriptores, Procopius, Corippus, & primus memorat Sec. II. X. Paulus, quem IX. sequitur Anast.*

\*\* *Refert Siffridus Presbyter ad A. 568. Langobardos occupata Italia, didicisse Germanicam Linguam. Quòd Latinam, licet inficeram, sibi reddiderint familiarem, indicio sunt Langobardicæ leges. Paulus Warnefrid. de gest. Langob. l. 2. p. 222. adfert Hunno-Langobardicæ pactionis summam, nempe convenisse inter utrosque, ut Hunni tamdiu retinerent Pannoniam, donec suos non urgeret necessitas redeundi. Hæc verò si abesset, haberent Pannoniam sibi, & fœdere mutuo colerent amicitiam. Conf. cum p. 222.*

al-

*alleg. p. 214. edit. Lindenbrog. Prudenter sanè & opportunè & quasi  
diffisis fortuna suæ cogitatum, si aliter usu eveniret, quàm destina-  
tum fuisset. Qui temporum rationes subducunt, hic sive initium,  
sive epocham collocant secundi Hunnorum reditus in Pannoniam,  
id est, in A. à N. C. 567. Hunnorum, dico, ne cum Hungarorum  
altera migratione confundatur. Nadanyus Fl. Hung. l. 1. cap. 13.  
Job. Sambucus supra alleg. Ceterum Langobardi duobus & quadra-  
ginta annis confederant in Pannonia, quando cum liberis & lare in  
Italiam discesserunt, hætenus Romanorum, ut signat Paulus, ad-  
jutores nunc hostes. Vid. p. 222. & 219. de gest. Langob.*

8. Ita Hunni velut ab exilio reversi, Pan-  
noniam, unde extrusi ab Ostrogothis fuerant,  
beneficio Alboini recuperarunt, & tot calami-  
tatum, quas acceperant, solatium tandem at-  
que optatum finem habuerunt, redditiqve pa-  
triæ, unde sine redeundi spe discesserant, pro-  
cul periculo & injuria Ostrogothorum, qui  
iplos afflixerant priùs, salvi atque incolumes  
floruerunt, usque dum Romani iterùm con-  
turbarent hujus fortunæ rationes, & vim face-  
rent bello, repetituri etiam, si possent, \*\* Pan-  
noniam, velut suam.

\* *A. Bonfinius non modò subscribit nobis, sed etiam confir-  
mat, Unnos in proferendos recepti regni fines intendisse animum,  
& omnes vires, decad. l. 1. §. p. 144. Nec multò post movisse in Fran-  
cos, idem asseverat, & ante eum Gregorius Turonensis, Hist. l. 4.  
c. 29. qui interpretatur Francos Occidentales, sive Gallos, horumq;  
regem Sigibertum, cujus multa industria fuit in placando Unnorum  
rege Chagano. Alii ibidem, Gagano, legunt: Paulus Diaconus*

*Cacorum, Sigebertus Chaganum, multi Kaganum scribunt. Sed aliquando post tempore, quam in vivis esse desit Turonensis, bellum quoque cum Francis Orientalibus gesserunt Unni, ut approbant Paulus Diaconus l. 4. cap. 12. gest. Langob. Sigebertus ad A. 601. De Chagani nomine observo, perinde apud Unnos, atque Pharaonum. nec non Ptolomæorum Lagidarumque apud Ægyptios, invaluisse, ut gentilitium omnibus, nulli singulare esset. Quorum illud ex Josepho Job. Henr. Ursinus, hoc ad Nicephorum Constantinopolitanum Joach. Camerarius, ad Justinum Job. Freinsbemijs probat. Et de Batonis veteri cognomento jam supra est traditum. Nec est, ut quid addam de Romanorum Augustis, Albanorum Sylvii, Partorum Arfacidis, Langobardorum Flavii, de quibus Servius, Aurelius Victor, Justinus, Paulus Diaconus præclare commemorarunt. Conf. ad hunc Frid. Lindenbrog. p. 352. Assentiuntur de Chagano post Turonensem, Sigebertus Gemblatensis Chronograph. A. 520. qui nunc Kagan, nunc Chagan signat: Aimoinus l. 4. c. 5. de gest. Franc. Paul. Diaconus l. 4. c. 38. Distinguit verò Monachus Benedictinus Adelmus A. 782. & quos nos reges, ille Principes Unnorum vocat. Neque inficiari velim, divisum aliquando Unnorum imperium fuisse, ut ex Procopio mihi liquet, quibus fortè rebus accidere potuit, ut qui imperium, iidem & nomen dividerent. Sed Job. Sambucus tradere videtur Chacorum nomine singulari, tanquam Avarii, in regno Uenico successoris, qui à morte Zeliorbis regnum gessit, Unnos appellatos esse Avaros. Hos Abaros, & Abares vocat Joach. Camerarius not. ad Chron. Niceph. Const. p. 82. Quorum tam exosum fuit Constantinopoli nomen, ut Constantinus, qui dicebatur, Copronymus ob connubium, quod cum Chagani filia contraxerat, malè audiret apud suos: ibid.*

*\*\* Bellum Hunno-Avaricum nuncupant vulgò: perperam verò, quia Hunni & Avaros una gens, neque origine, neque natione distincta, fuerunt. Ex quo non possunt non errare admodum, qui Avaros Hunnarum socios, & tanquam sede ac sanguine discretos, censent. Torquent hic semulii, & inter eos novitii quidam, intricantque adeò, ut non habeant, quemadmodum extricent. Quod ego quidem valde miror, quod refragentur scriptores mediæ ævi, & habeant pro iisdem. Ex reliquis Aimoinus alterum explicat per  
alte-*



alterum, ac una eademque notione, quatenus paria faciunt, copu-  
lat, atq; à Dalmatis, unius alioquin regni societate junctis distingvit,  
lib. 4. de gest. Franc. c. 24. De cetero, qui belli causam expediunt, nec  
nisi merito, rejiciunt in Chaganum, tum quia turbatorem finium  
Romanorum, tum quia violatorem pactorum inter Unnos Roma-  
nosque conventorum. Refert eolegi annales Constantinopolitanos,  
cumq; bis Johannem Zonaram & Nicephorum, illum quidem ma-  
gis. Inter Latinos Paulus Diaconus autor est, Priscum patricium,  
Mauricii Imp. praefectum, virtute sua devicisse Unnos. Sed corru-  
pit hanc gloriam Commentiolus Dux, ut clades adeo clade foedisima  
rependeretur. Vid. Chron. Cario - Peucerianum de bello hoc l. 3. in  
quo id notamus, quod Hunnos Hungarosq; permisceat. Addatur  
Tobias Wagnerus inst. hist. l. 7. in Mauric. & Job. Letus in eod. Ve-  
rectè scripserit in Chron. Michael Neander p. 258. Hunnos ab secun-  
do reditu Pannoniam, aut jam Hunniam potius, ad Caroli M. usq;  
tempora tenuisse. Nescio, quid in mentem venerit Johanni Sam-  
bucò, qui minimè veretur affirmare, receptam à Mauritio Imp.  
Pannoniam esse, commutationemq; hanc refert ad A. 604. Equidem  
fateri velim, recipiendi animum habuisse, sed recepisse eam omni  
fide careat, qui dixerit contra historicorum fidem. Ita turbavit  
Hunnia, & turbata est, Hunnis erepta non est. Jamque constat,  
opinor, elogium Ouygim<sup>8</sup> (Ungrici) quo usi sunt Imperatores Gra-  
eci, à VI. hoc seculo arcesse non posse: & si arcesseretur, ut certè nun-  
quam potest, Hunnici, sive Avarici sumendus titulus fuisset, quan-  
doquidem Ungrorum historiam non liceat ordiri altius, quam ab  
aero Carolingorum.

9. Sed quanquam instaret urgeretq;ve  
Romanus hostis, & proferre denuò imperii  
gloriam vellet, usu tamen didicit, frustra ten-  
tari omnia, resq;ve suas plus plusq;ve adduci in  
majus discrimen, Mauritio\* domesticis odiis,  
quæ brevi post adferebant exitium, implicato,

ut

ut neque explicandi rectè consilii facultas, neque belli feliciter gerendi occasio relinqueretur, donec altero abhinc seculo incesset cupidus Hunnos, ageretque in tot rapinarum spem, ac effunderet velut tempestatem in Germaniæ\*\* fines: quo factum est, ut suscitarentur injuria Franci, & quum in officio contineri ægrè possent, majorem eorum partem excinderent ferro, quodque supra Romanorum vires erat, prædas atque populationes istas tandem inhiherent, adderentque id honori præcipuè suo, quòd soli post Ostrogotthos subegissent Hunnos.

\* *Quod lubricum est rerum humanarum, Mauritius, qui per avaritiam multa indigna admiserat, prius exitium sibi ominatus est, quàm exitio involveretur, velut fati præsciis sui. In quam rem vid. præter Job. Zonaram, Georg. Cedrenum, proprium Mauritiï imper. rescriptum ad A. 602. & Goldast. T. III. Constit. Imper. pag. 636.*

\*\* *Qui frui prosperis longiùs poterant, nunc, quòd diuturna Cesarum patientia abusi fuissent, ultore Carolo justas pœnas pendunt, & tantum non extirpantur. Quanquam hic non exequar (egredi enim eò non vacat) an à IVto inde seculo, quum è vivis excessit Constantinus, Cesaribus aliquid juris in Pannoniam reliquum fuerit, nec temere dicam, quod fuerit, præsertim V. & VI. seculis, à quibus ad hoc usq; tempus Pannonia habuit separatas rationes, neq; nisi semel imperio Romano ad Teutonicos delato innexa inclusa.*

*sive fuit, si maximè veſtigalis aliquando fuit, ut dicetur infra. Sed illud ex his colligi facile judicariq; poteſt, quæ longa exercitacione atq; uſu maximo Chriſtoph. Beſoldus de Jurid. Imp. & Hugo Grotius de J. B. & P. tradiderunt. Mibi jam ſatis eſt, oſtendere regnorum vices, & reddere IIX. ſeculo Hunnos Carolingorum armis ſubactos, & in ejus rei teſtimonium replicare annales Franc. A. 788. & 796. Annal. Fuldenſ. ad A. eund. Eginhartus de vita Kar. M. c. 13. Monachus Prumiſis A. 791. & 796. & ex eo Monachus Weingartenſis Gabriel Bucelinus Annal. Germ. An. 796. De regibus Hunnorum perſuaſus omninò ſum, caruiſſe plena regiaque poteſtate, ſi forte Attilam excipio, qui rebus bellicis viam ſibi ad herile jus munivit. Quò Conf. Jornand. de reb. Get. qui loco ſupra dicto ſignificanter Dominum vocat. Remiſcor hic opportunè, quòd ſcriptor annalium Francicorum ad A. 796. Hunnorum Principes, Regino ad eundem A. Duces nuncupet, quos ipſi aliàs nuncupare Reges ſolent. Quod indicio eſt, vetus Hunnicum regnum valde à ſervili obſequio abhorruiffe. Quod negare non audebunt, qui & ingenium, & morem Hunnicæ gentis contemplantur. Huc vid. Deductio Bobemica A. 1620. edita, ſed cautè alioq; legenda. pag. 18. Goldaſtus de reg. Bob. l. 1. cap. 5. p. 47. ubi correxit opinionem, quam ſuperiori tempore probaverat de conſtitutione Jodoci Ro. Regis, ut ea quidem extat apud ipſum. T. III. conſt. imp. ad A. 1410. cum qua forte conferre poſſis illam, quæ reperitur eod. T. ad A. 933. ſub nomine Alberici velut regis Romanorum concepta. Sed ut erravit Goldaſtus, dum olim cenſuit, Jodoci conſtitutionem in legitimis numerandam, ita non exquisitè loquitur ib. de reg. Bob. r. quando Hunnicam conſtitutionem appellat, quam Hungaricam appellari oportebat, cum, quoad reſpiciam res Hunnicas, nil inveniam conſtitutionum Hunnicarum.*

10. Deleta Hunnorum gente, Ungari \* ab ultima Scythia, per regiones aditu arduas profecti, ferro aperuerunt viam, & co-

C hor-

hortati se alacriter invicem, versus Pannoniam fecerunt iter, ac nullo resistente incolis vacuum occuparunt, nec occupasse contenti, erumpere inde sæpius, & invadere Teutonum ditiones, \*\* cœperunt.

\* *Hepidanus cœnobita in annalibus per Agarenos denotare voluit, quæquam non verè & contra civilis historie migrationis gentium leges: idem de vita S. Wiborada Ungros: multi Ungros, quos non semel imitatur Lazius: scriptores rerum Sarmaticarum Juhros appellitant. Chronicon Reicherspergense Ungaros scribit, & migrationis causas reddit ad A. 890. cum quo jung. Otto Frising. Chr. l. 6. cap. 10. Nulla enim hujus gentis mentio existit ante IX. seculum: non quòd non fuerit (fuit enim in Scythia Europæa, sive Russia, ut videre est apud Matthiam à Michou, Alexandrum Guaguinum edition. Pistor. & Sigismund. Herberstein, Job. Nadan. &c.) sed quia tali nomine sub hoc Sec. primò venire cœpisset. Venit adeò in mentem industria Johannis Aventini, & qui hunc rectè sequuti sunt, Jacob Spigeli, Fr. Irenici, H. Conringii, qui quid de uno atq; altero in contrarium extet, quos destituit accuratior notitia historie migrationum. Primum erroris confusionisq; exemplum referunt ad Siffridum Presbyterum Misenensem, qui ad A. 801. perperam Ungaros exprimit, quos exprimere Unnos debuerat. Ac ita sensit in not. ad Egenb. Fridericus Besselius: at jam ante eum Witechindus Corbeje monachus Avaros, inquit, quos modò Ungarios vocatus, quòd suspicabor cæteris præbuisse errandi occasionem, inprimis, quòd permutet Avarium & Ungarorum, quasi eorundem populorum nomina. l. 1. annal. De Siffrido addo, insigniter impegisse, quandoquidem Ungaros 801. hoc est, Caroli M. ævo, memorat, qui Arnulphi ultimi Carolingorum imperatoris ætate emerferunt primùm, & redacta in potestatem Pannonia (an Hunnia mavis) agminibus infestis transferunt in Germanicum agrum. Ut appareat serius esse Ungariae nomen, & primis, quæ à nato Christo memorantur, octo seculis*

seculis ignotum prorsus inauditumq̄. Nec tamen sustinebo inficias  
ire, Ungaros, tanquam Unnorum successores, propter ferociam  
moresq̄ barbaros penè similes, at verò populari solum sermonis ge-  
nere, ab Hunnis tulisse cognomen, ut in Palatinatu ditio Hunes-  
ruck, & ore omnium celebrata arx Hunoltstein, testantur, de  
qua vid. Seb. Münst. ad Rben. tab. nov. in Hunnorum presidio. Tre-  
monienſe Chronicon. meminisse aqvationis Hunnorum, der Hunnen-  
träncke / repetitq̄ ejus vestigia à X. seculo in quod incidit memora-  
bilis clades Ungarorum, qui parùm exquisitè nominantur Hunni  
Job. Isacius Pontanus in historia Gelrica l. 5. p. 67. approbat in Ve-  
lavia superesse rudera castrì Hunnici, sed si accuratiùs loquamur,  
Ungarici, vulgò ex more Belgico Hunnenschans appellati. Nisi  
tamen ad seculum VI. quo Hunni in Galliam Germaniamq̄ excur-  
rerunt, referre prædictum castrum placeat, quod tamen nec innuit  
Pontanus, nec mihi videtur longius porrigi, quàm ad X. usque se-  
culum. Conf. Georg. Hornius hist. Imp. p. 241. Otto Frisingensis nu-  
merum velut locustarum, reliqui sevitiàm quasi beluarum percensent:  
ille l. 6. Chron. c. 20. Hermannus Contractus A. 900. seq. Qui Re-  
ginonem continuavit testis est, insolenter dixisse, superari se non  
posse, nisi terra fortè deglutiret, ad A. 967. addatur Witichindus  
A. 1. p. 7. & deinceps, in quo tamen, ut plerisq̄ aliis ex medio ævo,  
desideramus loqvendi accuratorem; Eckardus Monachus S. Gal-  
lensis A. 938. Christianus Urstisus Chron. Basil. Germ. edit. 1. 2. c. 10.  
cæteros referre, longum foret Ungaricos cum delectu velim legi.

II. Crescebat ferocia in dies, & tribu-  
to,\* quod iniquissimè flagitabant exaspera-  
batur magis, nec cohiberi ante poterat, quàm  
validos exercitus opponerent nostri, ne post-  
hac tam indignis violarentur modis, nève in  
perpetuam abriperentur serviautem, quùm

prospicerent iidem atque expenderent probe,  
& ut fieri his rebus solet, res alias ex aliis cogi-  
tando, it tandem omnes Viris Germanis di-  
gnum consilium caperent, ut justo p[re]lio \*\*  
expedirent miseriarum finem.

\* *Witichindus ait l. 1. A Legati Ungarorum ad eunt regem  
pro solitis muneribus: regis nomine designat Henricum Aucupem  
Francorum Orientalium Saxonumque Regem. Multo clarius Sige-  
bertus ad A. 904. confirmat, regnum Ludovici, id est, Germani-  
cum, quod per id tempus gessit Ludovicus Rex Teutonicus, idem-  
que Arnulphi filius, vestigale sibi fecisse Ungaros. Accedebant  
eot injuria atque innumeræ vastationes, quibus afflixerunt Germa-  
nicam rem Vid. Ab Stad A. 909. 910. 913. 915. 917. & seq. Conf.  
Cb. Cario Peucer. l. 4. in Henr. Aucup & Ott. l. in primis G. Ens l. 1.  
rer Ung. ad A. 920. 932. In Daleminciam, quam Misniam cum e-  
ruditis, non Dalmatiam cum vulgo interpretor, penetrasse, ex Mo-  
nacho Corbejense certum est: nec minus id de Saxonia manifestum,  
quod Bremam usque effusus fuisse, fidem faciat Abbas Stadenfis.  
De Alemannia, & reliquis superioris Germaniæ provinciis, quas il-  
li ipsi ferro ignique vastaverant, per se liquet satis. Ita nil erat,  
quod tormalis usque defatigatos liberaret, nisi fortuna belli, quæ  
nunquam constanter indulget, miseriam hanc cum gaudio commu-  
tasset, quod tantam ignominiam diversis p[re]liis delerent nostri,  
præcipuè iis, quæ ad Salam non procul Merseburgo, &  
ad Lycum vulgo Lech, prope Augustam Vindeliciam commi-  
strunt, quorum alterum Henr. Aucupem, alterum Oitonem fi-  
lium ejus, cognomento magnum illustravit, tanta strage Ungaro-  
rum, quanta nunquam hætenus audita fuerat. Conf. post Witichind.  
Corbej. l. 1. & 2. A. Huld. Mut. Job. Nautlerus. Captorum Ungariæ  
Principum supplicium est apud Script. Chr. Reichersp. ad An. 955.  
Reclè Gasp. Ens, perierant, inquit, nisi periissent: quippe tantis  
cladibus domiti ceperunt occasionem aggregandi se Christianorum*

sa.

sacris, faustumque adeò hoc propagata religioni seculum fuit:  
Horat. Turfelin. in Ott. 1. Primus partibus Christi accessit Gey-  
sa, tum Stephanus I. relatus inter sanctos ob admirabilem, quæ  
eluxit, pietatem, Ott. Frising. Chr. l. 6. c. 27. Ab hoc arcesitur  
initium tituli. REGIS APOSTOLICI: sapius quippe in  
diplomatum formulis videas. Unser Apostolische Kron. Spren-  
gerus font. Jar. Publ. p. m. 73. repetit loquendi hunc morem à  
Ul. Istlao, asserens, huic insigne regium cœlitus datum: at con-  
tra fidem Ungaricorum & Polonicorum Chronicorum: Vid.  
Eus d. lib. R. U. pag. 40. Sed quamquam hætenus reges & plu-  
rimi Ungarorum hausissent doctrinas cœlestes tamen universi de-  
mum Henrici II. ævo initiati sunt mysteriis nostris insertique  
Christo: Otto Frising l. 6. c. 28. Cateroquin ad civile institu-  
tum hic refert, ut observemus, Ungaros, qui hucusq; vectiga-  
les habuerant Germanos, facta insigni rerum temporumque com-  
mutatione, ad pendendum tributum postmodum à nostris ada-  
ctos fuisse Chronicon Reicher/pergensè ad A. 921. disertè tra-  
dit, Henricum Aucupem, Ungaros sibi tributarios fecisse.  
Tributarios, dico, non subditos, quum hæc longè ab se invi-  
sem distent. Sed multò aliter evenit Henrici III. ævo,  
quo fidem obsequiumq; regno Germania devinxerunt, sed ad  
tempus exiguum servaverunt, ac denuò facti sunt sui juris.  
Quorum illud nemo luculentius affirmavit, atque Hermannus  
Contractus in Chron. ex Pistor. recens. ad A. 1045. ubi Principes  
Hungarorum perhibentur, Henrico III. Imp. juravisse fidelitatem.  
Et apud eundem p. 140. legas, regem Andream Henrico declarasse  
parendi voluntatem, seu ut ipse ait, denunciassè s. bjectionem,  
annuū censum & devotā servitutem, si regnū s. habere permitt-  
teret. Sed eorū me planè pudet, quæ adferuntur ex quatern. onibus  
imperii, quos vocant, conscriptis planè & ab inscito quodam  
scriba, aut fortè monacho dispositis, quibus memorantur qua-  
tuor summa imperii regna, Romanum, Francicum, Poloni-  
cum, Ungaricum. Sed quod hic verba, tot nevi, tot erro-  
res. Partim enim regna inseruntur, quæ neque tempore  
Ottonis III. neque Caroli IV. quos ex vulgo applausores re-

spiciunt, in ditione imperii Germanici fuerunt: partim regnum Polonia Ungarico preponitur, sed absurdè, quòd illud tanquam recentius huic velut antiquiori post ponendum fuisset, ut suffragantur nobis evincuntque descripti ordines regum Europæorum juxta eam formam, qua olim conspicui erant in Concilio Bononiensi An. 1504. Et eò editi commentarii ceremoniarum pragmaticarum: Vid. Ceremoniale Julii Pontificis. Hodie certè risui omnibus sit, qui Ungariam regno Germania illigatam putet. Extat publica sanctio, in quâ conceptis verbis negatur, Ungariam, Imperio Germanico annexam esse. R. J. A. 1566. §. 69. conferend. cum §. 70. Ibi expressa oratione asseritur, regnum Ungaria suo inniti jure, nec quoquam modo addictum aut obnoxium Germanico esse: Da solche Landschaft (das Königreich Hungarn) dem H. Reich Teutscher nation, in nichts verwandt / oder zugehan: hic propter tot lata à Germanis auxilia referenda gratie exemplum continetur, daß solch Königreich / und desselben angehörige Ständ / sich herwiederumb gegen dem H. Reich / desselbigen Gliedern und Ständen in fürfallenden Nothfällen auch mitleidentlich und dermassen erzeigen / etc. Querunt hic juris prudentes, utrum optanda sit Ungaria cognatio cum Imperio, atq; interior nexus? de civili non concedent Austrii, Et non concessuros, argumento est R. J. allegatus: Et fortè dissentient Germani; si eterni fœderis vinculo adjungi imperio Ungaria vellet: quanquam enim id publicè salutare statui posset, tamen non ex vano arbitreris, Ordines Germania id recusare, ac negligere ferè, aut repudiare prorsus, quod non expediat singulis, Et licet universos attineat, tamen hætenus attineat nonnisi ex longinquo. Qui cum Bocalino suggerunt, non esse expetendum, ut recuperetur Buda, in illorum animo parum inest pietatis, nec sentiunt verecundè, nec loquuntur religiosè. Curiosus hic in memoriam redigo vaticinia de perdendo Imperio Constantinopolitano, Et post liminiò deferendo ad Christianos, quo-



rum meminerunt Gab. Barth. Grammondus & ex eo in pecul.  
diss. Ramspeckius, nec non Johannes Lauterbachius tr. de bello  
contra Turcas suscipiendo A. 1595. Lipsiæ evulgato, reliqua,  
ut Joachimi Calabri, & similium, collegit quidam Anonymus  
Gallus, quæ in Latinum convertit Joach. Pastorius. Sed  
multum abijt Lactantius de div. præm. l. 8. pag. 419. quò exi-  
stimaverim fortasse, respexisse ad Imperium Constantinopoli-  
tanum per Turcas evertendum, ut quidem perditis Græcorum  
rebus sec. XV. eversum est. Nil necesse est hic addere quippiam  
de bellis Ungarò-Turcicis, quæ succinctè complexus est An-  
tonius Mannavinus Genuensis, ac Latine reddidit Philippus  
Lonicerus An. 1584. Conf. Johan. Leunclavius, Aut. Bonfinius,  
Hier. Ortelius, quanquam hic aliquando corrigendus est ex Ni-  
colao Istbuansio: Caspar Dornavius de incrementis dominatus  
Turcici.

12. Multa, nec ea ludicra, aggresso  
opus quæcunque restant, sed ea desino  
commemorare hic, & quod pietatis meæ  
caput est, Ungariæ \* pacem, concordiam-  
que, bona inter mortales maxima, salva  
semper atque integra servari opto, & re-  
rum, quæ hætenus quidem afflictissimæ  
fuerunt, felicissimam, REGIQVE IPSO-  
RUM, & CÆSARI NOSTRO glo-  
riosam, REGNO demùm utilem stabilem-  
que commutationem precor idem, & vo-  
ta assidue facio, ut LEOPOLDUS in dies

VO-

AKT 24707  
votis majora exhibeat singulis atque univer-  
sis, nec modo UNGAROS, sed etiam  
GERMANOS sospites pacatosque præ-  
stet, ac in veteri utrosque sede sistat pariter ac  
confirmet.

\* Regnum hoc antiquum, & multis privilegiis auctum  
divina ope stetit hactenus, & , quanquam non exigua sui jaclu-  
ra, Turcarum impetus sustinuit fortiter represitque. Quo-  
modo ad Austrios pervenerit, post historicos, & nominatim  
Gerhardum de Rhoo, exposuerunt Job. Georg. Kieffer diff. de  
Habsb. Austr. Dom. pag. 178. seq. scriptor. Phosphori Austr.  
part. 2. §. 6. Melchior Goldastus in der summarischen Anfüh-  
rung / &c. De quibus reddere sigillatim, & judicare penitius,  
nimis forte confidentis animi nunc videri posset. Sacrae leges,  
quibus continetur fundaturque, desumuntur ex decretis An-  
dree regis A. 1222. evulgatis & constitutione Ferdinandi I. ad  
forum pertinet decretum, quod vocant, tripartitum, articu-  
li, qui dicuntur, & decretum Latino-Ungaricum juris, quod  
appellatur, consuetudinarii incluti regni Hungariae & Transyl-  
vaniae A. 1660. excus. Item index, sive enchiridion omnium de-  
cretorum & constitutionum regni Hungar. eod. anno Leutschbo-  
vie editum: articuli juris Thavernicalis, ut nomen ferunt,  
Viennae Austriorum lucem adspexerunt. Articuli, qui sic au-  
diunt, universorum statuum & Ordinum incluti Hungar. regni  
A. 1668. Pottendorffi emissi nervos atque artus quosdam pu-  
blici juris complectuntur. Regnum, quod ex Bonfinio colligas,  
sub tutela Mariae, Divae genitricis est, regium insigne, si regis in-  
auguratio est, gestat pro rex, alio nomine Palatinus, illudque in  
turri Posoniense asservatur: praeterea decem signa praefereun-  
tur, signa inquam, decem regnorum, quae contine-  
bat olim Hungaria, cum floreret.

••(o)••

Pon Πn 4707, QK

**ULB Halle** 3  
001 855 441



VDA7






K. 378, 14.

UN


CON  
SO

AND

In



Ty



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black




CA

MUEL  
H,

RD,

obr.



R.

